SAPIENS RERVM DOMINVS,

SIVE

DE S. IVONE

PAVPERVM ADVOCATO

ORATIO

Habita in eiusdem Templo ad Eminentissimos S. R. E. Cardinales,

AB ISIDORO RIVALDO
Seminarij Romani Clerico.



ROMÆ, Typis Hæredum Francisci Corbelletti. 1646.

SVPERIORVM PERMISSV.

Eminentiss ac Reuerendiss. Principi

CAMILLO S.R.E. CARD. PAMPHILIO.


ISIDORVS RIVALDVS F.



APIENTIÆ patrimonium rerum esse imperium (E.P.) tua satis familia testatur, quam eò dignitatis Sapientia extulit, vt arbitra terrarum, Cœli administra, vicaria diuinitatis euaserit. Adeoque nemo me accusare iure poterit si hæc oratio, qua IVONIS exemplo Sapiens rerum Dominus nominatur, à me tibi audacter sistitur, acceptura splendorem dum obsequia pollicetur. Pars erit tuę Sapientię fontem agnoscere, vnde tan-


ta magnitudo emanauit. Et habet hoc Sapientia, vt neminem alium velit iudicem sui, nisi se, & quos illa supra reliqua mortalium capita, euexit. Preterea & alio nomine meam vel excuso audaciam, vel absoluo, quod Romanum Seminarium, cuius ego pars aliqua sum, quem trahit Sapientię spiritum, magna ex parte accepit à Pamphilia Domo quę Te nititur non minus imitatore Maiorum, quàm virtutum hęrede; quamuis ea satis superque omnium animos conciliant, quę per te nobis exhibuisti summæ argumenta beneuolentiæ; vt sanè ad ingratum animum spectaret, acceptum à Columba Oliuę ramum, alio quam Columbę nomine inscribere. Vale diu bono publico.

ORA-



ORATIO.





NIHIL habet Genus Humanum Sapientia diuinius (Eminentissimi Principes); fulmen illa, & sceptrum Diuinitatis gerit vel inuita: quia humanæ impotentiæ memor, contemnit imperare hominibus, & humana maior potentia in rerum naturam dominatur. Cum enim Sapiens Deo sit simillimus, non dissimiles Deo mores vsurpat; decet autem more Numinis imperare, qui more Numinis viuunt. Artes verò propriæ sunt Diuinitatis Sapere, ac Dominari, neque licet dominari nisi Sapienti. Atque id fas mihi sit hodierna die perpendere laudaturo Sanctissimum

Virum IVONEM, cuius nomen accidit Naturæ mirabile quia Sapientis; nam quamuis hic medico tecto vsus fuerit pro regia, lacerna pro purpura, palea pro solio, paupertate pro comitatu, & patientia loco Maiestatis; tamen vicit omnes potentiæ vires quia omnes Sapientiæ partes egit quasi designatus è cœlo Dominus rerum, vt constaret Prouidentię arcanum; ne virtuti fortuna illudat, plus aliquid posse sapientiam, quam potentiam; neque alium à Natura principem adorari quàm Deum, vel hominem Deo simillimum hoc est Sapientem. Vsque adeo benignus est in homines, ac liberalis Diuinæ Bonitatis genius, vt illis non modo Sapientiam affuderit, sed etiam Naturæ imperium tribuerit quasi dotem Sapientiæ? Profectò si res ab IVONE gestas audire paululùm libet, affirmare constanter necesse erit, hunc terrarum & Cœli tractum, Elementorum prouincias, hoc rerum quodcunque Mundi nomine complectimur, pertinuisse ad censum regnumque IVONIS iure suo, hoc est Sapientis vbique dominantis. Itaque mirum videri non debet prodigium illud, quod documentum veritatis fuit, dum Mater eum specie gigantis concepit: quippe hic infans exultaturus erat vt gigas, homine scilicet maior, ad currendam in Sapientiæ stadio immensæ potentiæ viam, nisi tamen supra gigantem vixit, qui natam è gigantæo pectore superbiam disiecit.

Mos

Mos est tartareo Prædoni, siue ad Gentis humanæ terrorem, siue ad ostentationem arrogantiæ, seu etiam imperio Numinis scelera vlciscentis, impetum facere in homines, corpora inuadere, oppugnare animos, de statu mentes deturbare, confundere gestus & mores, & in humani corporis præda quasi hostili arce occupata, enormia vanæ dominationis terriculamenta exhibere. Iacebat ergo nescio quis tartareæ superbiæ ludibrium: diu noctuque iactabatur: & veluti æthnam, immo auernum, intus aleret, anhelabat inquietus: infensus sibi, alijs inuisus. Miseratione huius horrendæ palæstræ, quæ iam triennium lassauerat, commotus Vir sanctissimus hominem furijs agitatum ad sese iussit adduci: statimque tartareus prædo abscessit quasi metu perculsus & Dominum reueritus, excepitque superbia in IVONIS aspectu fulmen suum. Quid fabulamini, ò Poëtæ, superos eguisse fulmine, vt gigantes euerterent: hic aspectu fulminauit, non manu: siquidem hoc summæ potentiæ genus est, terrorem loco fulminis iaculari.

Debilitata Styge, ac sui latè nominis in infernam ditionem terrore immisso ad aliud accessit Diuinæ potentiæ grande rudimentum; ad conuellendam, videlicet humanæ audaciæ molem quam solet aliquando innixa Solio, minax sceptro auaritiæ flammis incensa, & fæcunda impietatis Ambitio, altera

ſcilicet Alecto Terrarum, excitare in damna Religionis. Irruperat ex Aula principis in familiam domumque Trecorenſis Antiſtitis non parua Satellitum, Militumque manus, quæ Principis ius, vt aiebat, vindicatura, per vim & ſcelus, nulla Religionis habita ratione Templum inuadit, Sacra depopulatur; aurea, argenteaque Altaris ornamenta rapit, & quæque Deo dicata donaria, vt auaritiæ pretioſius gratificaretur, aſportat. Dolent omnes, ac mirantur tanto licentię æſtu Chriſtiana pectora abſorberi, ſed timore attoniti non audent reclamare, verentur gladios, armatas dextras, furentes animos, principis iram, & mortem oculis obuerſantem. Quid agis Heros fortiſſime? videsne Aras & Templum expilari? expaueſcis ne armatam Militum indignationem, dum ſuperi violantur? times ne iraſci hominibus, dum homines illudunt Deo? ne Religio pereat hoc auaritiæ incendium reſtingue vel ſanguine: turpè eſt te cuſtode Sacrorum diripi altaria. Quid fruſtra exclamo? Non timet IVO armatos homines ſed planè inermis, ac nudo pectore, gnarus videlicet, ſe neſcio quid imperij ſupra humanæ potentiæ furorem habere, occurrit Militibus, iubet ablata Templo reddi ornamenta. Milites, non aliter ac ſi Principis ſupremi præſentia imperioque coacti fuiſſent, ſtatim prædam reſtituunt redeuntq; ad ſuum Principem, palam teſtati, aliquid ineſſe IVONI pluſquam

quam regium,& maiorem esse Regibus,qui Regum arma, irasque vinceret.

Sed quoniam Templi mentionem fecimus ad ea conuertamus orationem prodigia, quibus in Terram dominatus fuit. Pietatis exardescens studio in eam curam serio,constanterque incubuerat, vt Templum cuius ornamenta recuperauit, iam diuturnitate temporis ruinosum, magnificentius instauraret. Itaque cum trabes,aliaque lignorum genera ædificio essent necessaria, Dynastam quemdam pietate, ac nobilitate insignem conuenit, rogatque vt sibi liceat ex ipsius Sylua opportunas construendo Templo arbores abscindere. Indulget ille, ac liberaliter postulationi assentitur. Interim cæsis arboribus ingens percrebescit murmur Ciuium, IVONEM incusantium, quod pietate abusus plus iusto in Syluam sæuierit, & publica commoda offenderit. Aduocatur ergo à Dynasta, natumque murmur cum audisset; Adeamus, inquit, concisam, excisamque Syluam; obsequitur is cum Ciuibus, irridenti similis. Patet oculis Sylua verè truncis referta. Sed mox (mirum) iubente IVONE; spectantibus omnibus Terra ex concisis illis fractisque arborum bustis, ac reliquijs tria educit in lucem, effundit in auras, attollit in Cœlum germina ramorum: & Sylua immenso additamento locupletata tot in se numerat Syluas, quot truncos numerabat,

Tan-

Tantùm imperij exercuit IVO in Naturam vt non modo eam seruire, sed etiam gignere iusserit alieno tempore, more non suo.

Hanc obsequiosam Terræ indolem imitata est Aqua seruitio promptior, quo difficilior, quia nobilior. Pergebat ad Oppidum Religionis propagandæ cupidus, & animorum saluti consulturus: obstruxerat iter exuberantium vortice aquarum confusus fluuius & pontem indignatus vndarum cumulo minitabatur tumulum omnibus, qui sese propiùs aduoluissent: nulla spes aderat exuperandæ procellæ: nulla ratio conciliandi gurgitis: afflabat vehementior turbo: minacior fluctus assurgebat: nec Oceano cedebat fluuius. Quid consilij caperet homo generosæ animæ plenus? adiret? prohibebat iratus vortex. rediret? at pudebat metu aquæ ignem caritatis extinguere. expectaret? nimia permittebatur Aquæ licentia. Vtere sorte tua, impera flumini, imperauit. & compresso turbine, sedato fluctu, diuisus in semitam fluuius eum admisit, atque in Oppidum transmisit: sensit enim, agnouitque Aqua in IVONE potentiam illam vndarum dominam, quã superstitio finxit in Neptuno, nam reuera nulli mortalium magis obediunt elementa quàm illi, qui Christi Sapientiam imitatus ventis vndisque imperat; potentiæ particeps, quia compos sapientiæ.

Sed non modo Aqua, verum etiam cognatum Ele-

Elementum Aër, illius dominationem & percepit, & eximio seruitutis officio quodammodo exornauit. quid enim aliud spectauit admirabilis Auis quæ in IVONIS gremium complexumque sese abijciens nihil blanditiarum omisit, vt ei plauderet & quasi Domino adularetur, nisi vt legationis officio functa vniuersum Aëris regnum illi offerret supplex atque obnoxium? Degebat familiariter cum ea hominum turba, quæ optimi non pessimi argumentum est. Adstitit repente volucris qua aureo, qua argenteo, qua smaragdino colore illustris: sese paulatim insinuat IVONI reuerenter atque amabiliter: vestem osculo libat: mox suauissimo concentu suam approbat legationem. Quo spectaculo defixi qui aderant, hinc suauitate carminis, hinc nouitate rei oculos ad IVONEM conuertunt. At ille tanquam legationis verba iam excepisset, annuit volucri, quæ officio functa, IVONE salutato, ac suo blandita Domino recessit. Eant qui negant suum deesse auibus elementisque ingenium: certè illud negare non possunt Naturam esse ingeniosam in Sapientiam, à qua quicquid habet ingenij, accepit.

Et ne videar ego nimis Aëri tribuere vobis ab Igne percontari fas erit quâ vi adactus statim Iuonis nutui morem gesserit. Improuisa quadam scintillarũ intemperie Ignis immodicus exæstuauerat, exhaustoque alimento in vniuersam domum sese

effuderat, immò vniuersæ Vrbi fatum, exitiumque minabatur. Exiliuit Vrbs è sedibus incēdium compressura: post plurimas admotas machinas ad ignem labefactandum, ardentius incendium feruebat, & ipsa Aqua Ignis societatem amabat: Mœror & tristitia compleuerat animos cinerem, ac sepulcrum suis rebus ominātes. Quid plura? Ipsa Vrbs quasi adornato rogo, & anticipato funere, sibi iam concremādæ næniam canebat. Aduolat IVO: nec vlla nisi dominantis arte adhibita, & expresso diuinæ potentiæ gestu, hoc est, edito Crucis signo increpuit Ignē qui ea prorsus formidine tactus, qua timore, ac ingenio abundans seruus Principi paret, incœpto destitit, flammas extinxit, euanuitque, claro documento IVONEM esse rerum Dominum.

Cognoscitis, Auditores, quàm amplum, quàm magnificum, quàm diuinum fuerit in Stygem, in homines, in Elementa, & vniuersam Naturam IVONIS imperium. Vtinam hac quoque oratione promere liceret quantùm cœlestis ditionis idem obtinuerit, quantum apud Superos auctoritatis, quantùm gratiæ apud Deum; noua quædam & nunquam visa scena stuporum oculis animisque obuersaretur; nec tam lucem pareret Sol iste solito lucentior quam vmbram. Quoties enim seipso potentior, mortalitatis carcerem eludens, sublato è Terra corpore, animoque in sidera translato in cælum

lum se penetrauit suæ veluti prouinciæ rebus interfuturus? Quoties Cœlum, vt ita loquar, ad se delapsum excepit? Quoties illi supra caput Solis, siderumque fulgor enituit instar diadematis & Coronæ? Quoties Beatæ mentes quasi comites & administræ imperij ad illum accessere? Deus ipse (ò rem omnibus sæculis admirandam) ab æternitatis emporio in ærumnosum angulum se deuoluens more hominis illum conuenit, ac spectante IVONE in squalore humanitatis pompam Diuinitatis exhibuit, vt suffragio felicitatis approbaret quem Natura rerum Dominum adoptauerat. Tanti facit Sapientiam Deus. Tanti interest Diuinitatis commendare mortalibus Sapientes, vt quæ in Deum tantummodo cadit, rerum potestas, patrimonium euaserit Sapientis. Nimirum huc omnia Prouidentiæ consilia referuntur, vt in homine splendor Diuinæ imitationis affulgeat; Sapientia autem radius est, quo splendor iste allucet. At verò quid IVONE sapientius? qui procul rerum mortalium negotijs altissimam rerum caussam constante studio contemplatus eò curas omnes conuerterat, cogitationes, vires, industriam, vt in sese Numinis effigiem expingeret: hic enim sapientiæ scopus, hæc meta est, Deum imitari. Eodem theatro fruitur Sapiens, quo Deus: Theatrum Dei paupertas humana est. Quis igitur negauerit IVONEM fuisse Sapientissimum, qui tan-

pauperes
ta beneuolentia complexus fuit vt primus inter homines post Deum fuerit nuncupatus Pauperum Aduocatus. O fortunatos homines si cognoscerent quàm illustre Sapientiæ genus sit subleuare miseras egenorum fortunas. Gratulor tibi, Heros Sanctissime IVO qui post amissum primæuæ Innocentiæ imperium, exemplo tuo docuisti posse hominem euadere Rerum Dominum si Sapiens sit hoc est Imitator Dei, amator Pauperum.

LAVS DEO.

